

inferius vel superius biliosa evacuans, rubras etiam simul ex vesica urinas, atque morbum solvit: vel imperfectam judicationem facit, nec omnes humores biliosos e ventre eliminat, morbum autem in febrem frigidam ei ipsi similem, diram tertianam convertit; aut sub cutim & oculos utrosque bilem suffundit, morbum vero arquatum injucundum, atque judicationem difficultem efficit; aut ea percunctando judicationem odibilem ferotinam correptis procreat, e ventre vero inferiore fordes copiosas male olentes, biliosas, putridas rumpit, adeoque valde fero laborat incassum; imbecilitati enim aegroti miseri cedens, & violentiae perniciosi morbi, finem vitae ponit.

§. 8. Qui igitur excretiones, quas natura evacuando ostendit, per quas etiam morbum dirum judicat, per quasque solvit, bene animadvertisit, is palam perspicit causas hujus noxias, hae itaque sunt humores mali, inerti biliosi, acres, aeruginosi, mordaces, male commisti, nervosque omnino vellicantes, qui mixtim cum sanguine circumcurrentes vasa facile irritant, atque febrem perniciem & molestias procreant. Efficit vero tales calidum & siccum aestatis laboriosae tempus, dum Sirius corpora mortalium exsiccat;